DE

A. PERSII FLACCI SATIRARUM

VIRTUTIBUS ET VITIIS

SCRIPSIT

THILO PABST,

PHIL. DR.

RATHENOVIAE

TYPIS EXPRESSIT A. HAASE

MDCCCLXXVI.

De poëtarum Romanorum nullo a viris doctis magis certatum esse contenderim quam de A. Persio Flacco eiusque satiras a iudicibus, virtutes aliis, aliis vitia spectantibus nec sine ira et studio defendentibus aut damnantibus, ab aliis pluris ab aliis minoris habitas esse quam valent. a scriptoribus illis qui ecclesiastici appellantur, satiris Persianis iure meritoque magnas laudes tributas esse nemo est qui neget; quippe praestantia doctrinae moralis, quae interdum ad fidei christianae praecepta prope accedit (ut II, 61 sqq.: O curvae in terris[1]) animae et caelestium inanes), Persius a maiore parte cum aequalium scriptorum tum satiricorum distinguitur. ex qua morum praestantia a nonnullis scriptoribus ei cognomen ethico et severo inditum est.

Quod summa ira concitata de virtutibus et vitiis satirarum Persianarum disputatum est, id iudices ex animi sententia egisse significat. plerique tamen consuetudine quadam ad iram illam adducti videntur; nam inde a Scaligeris, quorum iudicia haec sunt: ‚C'est un pauvre poète. — Au Perse de Casaubon la saulce vaut mieux que le poisson. — Persius, miserrimus auctor, non pulchra habet, sed in eum pulcherrima possumus scribere.' ad Theodorum Mommsenium usque, qui hist. Rom. I, p. 48. hisce verbis eum increpat: ‚das rechte Ideal eines hoffärtigen und mattherzigen der Poesie beflissenen Jungen,' obtrectatores in iudicio de Persio faciendo verbis quam gravissimis adhibendis operam dederunt. contra non defuerunt laudatores vel, ut ita dicam, praecones praestantiae poësis Persianae, ex quibus ulterius quam par Franciscus Passovius progressus esse videtur. aequam

---

1) Lactant. instit. div. II, 2: terras.

mentem servarunt, sine ira et studio iudicarunt perpauci, ut E. L. Koenigius[2]) et O. Iahnius. de universa poësis Persianae natura lis non iam sub iudice est; nostrae aetatis plerique critici idem fere censent quod Scaligeri.

Iam cum ea, in quibus sanum eorum, qui neutri parti, nec laudatoribus nec obtratoribus, favent, iudicium de Persio nitatur oportet, nondum in unum congesta et disposita sint, me operae pretium existimo facturum, si omnia quam fieri potest accuratissime collegero.

Persii satiris lectis et relectis pauca habemus, quae virtutibus adnumeremus. ne una quidem satira, si generaliter quanti habenda sit quaesiverimus, digna erit, quae nobis probetur; quae probari possunt singula sunt eaque σποράδην reperiuntur. duae tamen virtutes a Persio abiudicari nequeunt. et primum quidem severitas et gravitas morum. quid mirum? parentibus honestissimis natus admodum iuvenis Stoicorum praeceptis imbutus erat per Cornutum. qua est morum severitate temporis sui vitia depingit et non modo depingit, sed etiam pro parte virili impugnat verbis quam acerbissimis orationis vim usque augens. quam verborum acerbitatem et ipsam a philosophiae Stoicae studio ducere possis. Horatii levitatem ignorat, qui se ‚ridentem dicere verum‘ non negat et sat. I, 126 sqq. scribit:

omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
tangit et admissus circum praecordia ludit,
callidus excusso populum suspendere amico

Optime probant Persii morum sinceritatem hi loci: II, 69 ‚dicite, pontifices, in sacro quid facit aurum?‘ et II, 71, sqq.: ‚quin damus id superis, de magno quod dare lance — non possit magni Messalae lippa propago: — compositum ius fasque animo, sanctosque recessus — mentis et incoctum generoso pectus honesto.‘ quae gravitas morum plurimum contulit tum ad iudicum quorundam benevolentiam Persio conciliandam, tum ad vitia silentio dissimulanda.

Iam transeamus ad alteram satirarum Persianarum virtutem. admiramur in iis miram quandam artem in exprimendis et

---

[2]) Cf. procemium editionis, quae prodiit Gottingae a. 1803.

effingendis rebus, quas ita exponit, ut sub adspectum paene nobis subiciat quasi gerantur. tribus causis Persius ad adhibendas rationes mimicas permotus esse videtur: et primum quidem Sophronis exemplo, tum eo quod philosophi (inprimis Stoici) praecepta illis inlustrare consueverant, deinde quod omnes satirici poëtae illis usi erant.

Quod attinet ad imitationem Sophronis, negare quidem licet Persium ex Sophrone hausisse et in satiras suas transscripsisse[3]) nec tamen addubitari potest Ioannem Lydum de magistrat. I, 41 (Πέρσιος δὲ τὸν ποιητὴν Σώφρονα μιμήσασθαι θέλων τὸ Λυκόφρονος παρῆλθεν ἀμαυρόν) verum tradidisse de Persiana Sophronis imitatione, quippe virtus illa, quam compluribus verbis explicaturus sum, Volaterrani satiris cum Graeci dialogis communis sit. a philosophis deinde rationes mimicas in tractanda potissimum ethica ad praecepta inlustranda augendamque sermonis vim adhibitas esse prae ceteris docet O. Iahnius, prolegg. p. CV. quod igitur poëta iis usus est non mirandum, cum id ageret, ut legentibus probaretur, philosophi contra nonnisi in paucorum discipulorum laude conligenda curam ponerent. tertia denique causa, cur in Persii satiris mimica insunt, in eo posita est, quod priores poëtae Romanorum satirici illis usi erant. fecerant, quod Romanorum satira cohaeret cum vetustissima illa satura scenica, id quod et nomine utrique poësis generi communi et eo probatur, quod haud raro satirae, maximae Horatii, hominum sermones alternos inducunt[4]). iam cum quaevis actio dramatica gestibus mimicis non prorsus vacet, tum Varronis saturae Menippeae prae ceteris docent satiricum poësis genus, quippe e poësi dramatica ortum, gestus mimicos nunquam abiecisse[5]).

Sed relinquamus disquisitionem de causis, quibus Persius ad rationes mimicas adhibendas permotus sit, et redeamus eo, unde exorsi sumus. admiramur, ut iam diximus, in Persio miram quandam artem in exprimendis et effingendis rebus,

---

[3]) Cf. Bernhardyi hist. litt. Rom. p. 652. ed. V.

[4]) Cf. doctissima Petermanni commentatio, cui inscriptum est: über Ursprung und Begriff der röm. Satire. Gr. Glogau 1856. p. 22.

[5]) Cf. Bernhardyi hist. litt. Rom. p. 21. ed. 2.

quas ita exponit, ut quasi gerantur sub adspectum paene nobis subiciat. iam cum Persius id potissimum ageret, ut homines virtutem doceret et Stoicorum dectrinam propagaret, non mirandum, eum raro vitae vulgaris actiones describere. in eligendis autem et ornandis illis exemplis e vita depromptis singulari arte usus est. saepissime illa exempla ita comparata sunt, ut naturam vere dramaticam exhibeant: cf. IV. in. IV. 25 sqq. V, 132 sqq. quod alio modo explicari non potest, quam quod Persius facultate quadam praeditus erat et cotidianam hominum vitam acutis oculis observare et res exponere[6]. et in Persio non modo infuisse facultatem observandi, sed eum re vera priusquam ad satiras scribendas adiret observasse ex eo colligi licet, quod saepe mores, habitus, sermones hominum optime describit. non igitur recte iudicasse videtur Teuffelius[7]; contendit enim Persium non vitam observasse, sed alia ex Sophrone sumpsisse, alia ex illis exemplis hausisse, quibus Stoici illius temporis ad praecepta illustranda usi essent. at illae Teuffelii coniecturae non sunt argumenta, in quibus vis insit ad sententiam ab eo propositam comprobandam; nam in multis, quae O. Iahnius in prolegomenis editionis maioris e Sophronis fragmentis exhibuit, ut Ioannem Lydum recte iudicasse demonstraret, lectis, pauca Sophroni debita inveniri iam monuit Bernhardyius[8]. equidem existimo futurum fuisse ut Persius, si ex libris non e vita hausisset, non tam recte res describeret, sed in obscuritatem incurreret, ut saepissime fecit Horatium imitans. ergo Persius ipsam vitam observasse censendus est.

Cognoscamus nunc artem Persii ipsam. in vita moribusque hominum describendis Persius parva quoque non omisit. I, 30 sqq. verba c u i c i r c u m h u m e r o s h i a c y n t h i n a l a e n a e s t aptissima sunt ad depingendum mollem poëtam; poëtae enim, citharoedi et tibicines Persii tempore pallas aut syrmata induere solebant. v. Weidner. ad Iuven. 10, 212. eiusdem satirae verba (v. 35.) [Phyllidas, Hypsipylas] eli-

---

6) Cf. O. Iahn. in Ersch et Gruber, Encyclop. III, 18, p. 36.

7) Introd. versionis Germanicae, quae prodiit Stuttgartiae a. 1844. p. 42.

8) Cf. not. 3.

quat et tenero supplantat verba palato nimiam declamationis artem optime demonstrant. II, 31 sqq. Persius satis habere potuit, pia nutricis vota narrare; sed accuratissime explicat, quomodo nutrix se gerat in votis capiendis. initio satirae tertiae helluonem oculis subicit, qui tota nocte in vino epulisque consumptis in lectulo cubans crapulam edormit, quamquam, ut Ovidii verbis utar, iam fere medius Titan venientis et actae noctis est. qua satira Persius bene homines descripsit, qui causam taedii non in se inesse putant. verissima etiam sunt verba, quibus III, 44 sqq. puerum a litteris discendis abhorrentem pingit:

saepe oculos, memini, tangebam parvus olivo,
grandia si nollem morituri verba Catonis
discere, non sano multum laudanda magistro,
quae pater adductis sudans audiret amicis.

pari laude digni sunt satirae IV v. 28 sqq.:

qui quandoque iugum pertusa ad compita figit,
seriolae veterem metuens deradere limum
ingemit: hoc bene sit! tunicatum cum sale mordens
caepe et farrata pueris plaudentibus olla
pannosam faecem morientis sorbet aceti?

Loci Persiani proprie mimici hi sunt: I, 58 sqq.:

o Iane, a tergo quem nulla ciconia pinsit,
nec manus auriculas imitari nobilis albas
nec linguae, quantum sitiat canis Appula tantae!

II, 28 sq.: stolidam praebet tibi vellere barbam Iuppiter?

I, 62 sanna et V, 91 rugosa sanna (cf. Iuv. 6, 305) dicuntur ad acerbam irrisionem, quae cum distorto vultu tum naso corrugato fit, significandam; cf. III, 87 ‚iuventus ingeminat tremulos naso crispante[9]) cachinnos.‘ I, 129 sqq.: Italo quod honore supinus | fregerit eminos‘ cet. homines inflati quamvis parvo munere fungentis habitus optime pingitur. — ungues adrodere est aut hominum cogitationibus inhaerentium aut animi perturbationibus huc illuc iactatorum. iam cum

---

9) Verbo crispandi h. l. vis inest intransitiva, quam lexicographi, certe Georges, neglexerunt; nec non Weidner. ad Verg. Aen. I, 313 fugit. Teuffelius recte intellexisse videtur, nam vertit: ‚mit geschwungener Nase.‘

Horatius satt. I, 10, 70 sqq. de poëta cum multo labore versus faciente dicat:

in versu faciendo
saepe caput scaberet, vivos et roderet ungues,

Persius I, 106 malo cuidam poëtae, qui, ut Horatii verbis utar, in hora saepe ducentos versus facit stans pede in uno, id opus esse negat. I, 162 Chaerestratum, iuvenem inconstantem et mutabilem, ad Chrysidis limitem meditantem, maneatne an abeat, ungues adrodentem facit. philosophos in cogitationibus defixes hoc modo describit III, 78 sqq.:

non ego curo
esse quod Arcesilas aerumnosique Solones,
obstipo capite et figentes lumine terram,
murmura cum secum et rabiosa silentia rodunt
atque exporrecto trutinantur verba labello cet.

sordidus herus, timens ne lagena furtim exsiccata sit, hisce verbis ob oculis ponitur VI, 17 sq.:

(recusem) cenare sine uncto
et signum in vapida naso tetigisse lagena.

nox in vino consumpta quam male eveniat docet poëta III, 58 sqq.:

stertis adhuc laxumque caput compage soluta
oscitat hesternum, dissutis undique malis —,

quae quidem verba Persii elegantiam non ita probant. III. 10 sqq. helluonem videmus, qui post morbum sanescere quidem coeperat, sed ne tunc quidem sibi temperans poculam ad os admovens febri correptus paullo post animum edit. venalicium, vel sua mancipia empturis laudantem vel ab aliis licita temtantem, describit VI, 76 sq.:

nec sit praestantior alter
Cappadocas rigida pinguis plausisse catasta.

Cum more Persii, homines plebeios loquentes facientis, optime quadrat quod imagines quoque e consuetudine vitae communis ducit. I, 15 sqq.:

non si quid turbida Roma
elevet accedas examenque improbum in illo
castiges trutina —.

IV, 10, sq.: scis et enim iustum gemina suspendere lance
ancipitis librae cett.

III, 21 argillam, qua figuli utuntur, V, 24 tectorium[10]) in imagine adhibet. artificum usum respicit V, 40: artificemque tuo ducit sub pollice vultum (sc. animus); nam satis constat artifices in examinandis artificiis pollice usos fuisse. cf. Hor. ep. II. 3, 294: ‚perfectum decies non castigavit ad unguem,‘ ubi v. interpretes. imago ab hortorum cultura desumpta reperitur V, 63: cultor enim iuvenum purgatis inseris aures
fruge Cleanthea. —

quae quidem imago bene expressa videtur; nam aures purgatae dicuntur, quod purgatae quodammodo sint oportet ad praecepta philosophiae percipienda, sicut ager purgatur priusquam sementis fit.

Haec hactenus de A. Persii Flacci satirarum virtutibus.

De Persii satirarum vitiis disserendi viam ita sumus inituri, ut primum disputemus de obscuritate eius dicendi, quae his causis effecta est: usu dicendi aequalium, usu dicendi Stoicorum, imbecillitate aetatis, ingenii, sermonis, quae videtur in brevitate dicendi, in audacia et frequentia translationum, deinde in immatura doctrina, denique in propria arte dialogi. deinde disseremus de tenuitate sententiarum et imaginum, tertio de parvo singularum partium inter se connexu, exordiorum maxime, tum de eo, quod satirae Persianae non aequalium vitia vituperant, denique de argumentis satirarum non vere poëticis.

I, 1.

Vitiorum Persii satirarum primo loco a iudicibus obscuritas elocutionis notata est, quae quidem et molestissima et saepe — id quod pro certo affirmare ausim — considerate facta est. sane tanta est, ut in proverbium fere abierit. hinc sanctum Hieronymum satiras in flammas abiecisse ferunt eo consilio, ‚ut flamma tandem illustrarentur,‘ et Iulium Caesarem Scaligerum ob nimiam obscuritatem stomachatum ‚si non vis

---

10) De quo cf. O. Iahn. a. h. l.

intellegi, non debes legi' exclamasse tradunt. quas narratiunculas etsi non veras, bene certe inventas iudicarim. non defuerunt sane qui Persium tuerentur et contenderent, non illi imputandum esse quod universum, quo vixit, saeculum peccasset; nam Quintilianum X, 1, 94 eum multum et verae gloriae quamvis uno libro meruisse dicere et Martialem IV, 29, 7 sq. hoc de eo praedicare:

saepius in libro memoratur Persius uno
quam levis in tota Marsus Amazonide.

Romanis Persiani sermonis obscuritas minor videri potuit quam nobis, quibus tempus edax rerum nihil reliquit nisi paucos scriptores ex variis orationis generibus. illis obscuritas Persii vix insolita videri poterat, cum iam antea poëtae exstitissent — e. c. C. Helvium Cinnam nomino[11]), — qui Persio in obscuro dicendi genere non concederent, nos contra integram illorum poëtarum notitiam non habemus. unde fit, ut nobis multa ambigua et obscura maneant, quae Romani non demirabantur. brevi autem post editas Persii satiras tempore obscuritate illa orationis multos in legendo vexatos esse eo probatur, quod M. Valerius Probus Berytius commentarium in eas scripsit. quod quamquam non satis liquet, certe tamen constat Hieronymi tempore commentarios in Persium iam fuisse. iam investigemus, quibus rebus factum sit, ut Persius in obscuritatem sermonis incurreret.

a. Ac primum quidem eo factum est, quod scriptores aetatis Persianae in tractanda oratione aliam viam ingressi sunt quam ii, qui classici κατ' ἐξοχήν dicuntur. iam cum posteriorum scriptorum dicendi usus a classicorum multum abhorreat et nos in his fere plus studii consumere soleamus, nobis plus interesse videtur inter illos scriptores quam Romanis videbatur. notissimum enim est inde a Tiberio eloquentiam corrumpi coepisse et oportuisse, ut oratores, si probari vellent, novi viderentur. quod novandi studium ad poëtas transiit. et

11) Cinna epos scripsit, cui inscriptum erat Smyrna. Serv. ad Verg. Ecl. IX, 35: ,fuit autem liber obscurus adeo, ut et nonnulli eius aetatis grammatici in eum scripserint magnamque ex eius enarratione sint gloriam consecuti. quod obscurus fuit etiam Martialis (X, 21, 4) ostendit in illo versu: iudice te melior Cinna Marone fuit.'

primum quidem scriptores audaciam in verbis transferendis exhibebant. ea audacia cum in Persio aequo plus insit, non mirandum, quod longe aberravit a Ciceronis praecepto, quod edit de opt. gen. or. 2, 4: ‚nam et quoniam eloquentia constat ex verbis et sententiis, proficiendum est, ut pure et emendate loquentes, quod est Latine, verborum praeterea et propriorum et translatorum elegantiam persequamur, in propriis, ut aptissima eligamus, in translatis, ut similitudinem secuti verecunde utamur alienis.‘ Persius contra non aptissima quaeque elegit, immo gravissima usque quaque captavit, et quamquam satira prima scriptorum et poëtarum aequalium malum iudicium impugnavit multorumque carminum inepta et insulsa damnavit, impedire tamen non potuit, quin aequalium perverse loquendi usus in se ipsum vim exerceret. abhorrens enim a copiosa et diffusa verbositate, quo vitio plerique aequalium infecti erant, in contrarium incidit, nimiam dicendi brevitatem. unde pendet alterum sermonis vitium, obscuritas sententiarum. Seneca, qui epist. 114 duas aequalium scriptorum rationes optime notat, cum alia tum haec: ‚cum adsuevit, inquit, animus fastidire quae ex more sunt et illi pro sordibus solita sunt, etiam in oratione quod novum est quaerit, et modo antiqua verba atque exoleta revocat ac profert, modo fingit et ignota et deflectit, modo id quod nuper increbuit, pro cultu habetur, audax translatio ac frequens. sunt qui sensus praecidant‘ cett. quam recte iudicarit, quam verba eius in Persium quadrent, infra patebit ex iis, quae de poëtae audacia in translationibus eiusque nimia dicendi brevitate disputabimus. in qua idem fere ei accidit, quod Fabiano cuidam, de quo Seneca rhetor controv. praef. 1: ‚ab hac, inquit, [lascivam Arellii Fusci orationem dicit] cito se Fabianus reparavit, et luxuriam quidem cum voluit abiecit, obscuritatem non potuit evadere. — saepe minus quam audienti satis est eloquitur. — quaedam tam subito desinunt, ut non brevia sint, sed abrupta.‘

b. Secunda causa brevitatis dicendi et obscuritatis sermonis Persiani in eo posita esse videtur, quod scriptoribus sectam Stoicam secutis brevitas loquendi communis est. quamobrem Cicero de or. II, 38, 59 genus orationis eorum ‚non liquidum,

non fusum ac profluens, sed exile, aridum, concisum ac minutum,‘ alio loco (Brut. 30, 114) ‚peracutum et artis plenum.‘ tamen etiam ‚exile nec satis populari adsensioni accomodatum‘ dicit. alio denique loco (ib. 31, 120) eorum oratio ab eo ‚adstrictior — aliquantoque contractior, quam aures populi requirunt‘ appellatur. cf. Quint. X, 1, 84.

c. Tertiam causam obscuritatis sermonis cum Daniele Heinsio[12]) imbecillitatem aetatis aut ingenii aut defectum sermonis habemus. Heinsii sententiae Teuffelius quoque adsentitur[13]).

Neque vero Persius nihil egit quam ut breviter diceret. interdum enim stulte et inepte facta iocans irridet eaque in risum vertens pluribus quam opus est verbis utitur, ut I, 36 sqq. Passovium (ed. Pers. I, p. 136) huius loci ubertas quaedam elocutionis non fugit in eaque aliena a Persii natura et indole agnoscere sibi videtur ‚die erste flüchtig entwerfende Hand des Künstlers, der in der Skizze Einen Gegenstand mehrfach darstellt, um nachher bei der Ausführung eine leichtere Wahl zu haben.‘ huc pertinere putat vitae verba ‚hunc ipsum librum imperfectum reliquit.‘ V, 96 sqq. verbis mutatis unam iterat sententiam:

stat contra ratio et secretam garrit in aurem,
ne liceat facere id quod quis vitiabit agendo.
publica lex hominum naturaque continet hoc fas,
ut teneat vetitos inscitia debilis actus.

I, 2.

a. Obscuritas sermonis Persiani primum posita est in brevitate dicendi, quae efficit, ut sententiae non modo breves sed etiam abruptae sint, priusquam poëta satis explicavit quod dicere voluit, vel, ut ait Teuffelius, priusquam rationes logicae recte expressae sunt (‚ehe die logischen Beziehungen recht ausgeprägt sind‘). huc pertinet ellipsis particularum comparativarum, ut V, 50:

sed cum lapidosa chiragra
fregerit articulos, veteris ramalia fagi —

---

12) De satyra Horatiana p. 271.

13) Introd. vers. German. p. 39.

huic loco adscribere liceat O. Iahnii explicationem: ‚Chiragra, Horatio (epp. I, 1, 31) nodosa, dicitur lapidosa, quia ossa obdurescere facit, ut veteris fagi ramalia (I, 97), cum patiuntur ea, quae tale vitae genus secum fert.' item III, 115 sq.:

alges, cum excussit membris timor albus aristas;
nunc face supposita fervescit sanguis, —

i. e. sanguis fervescit velut aqua taedis suppositis aestuat et bullat.

b. Deinde audacia et frequentia translationum insolitarum minime confert ad augendam sermonis Persiani perspicuitatem et elegantiam. infra aliis commoti rationibus facere non poterimus, quin a Persio omnem indolem poëticam abiudicemus; nunc in recognoscendis translationibus statim apparebit eum vel in eligendis et adornandis verbis poëtam se non praestitisse. sermonis sui imbecillitatem non ignorans Persius assidue sed infeliciter Horatium imitabatur, eaque imitatio cum multum valuerit in Persium, liceat brevibus verbis de ea disputare.

Persium Horatii vestigia pressisse iam pridem luce clarius demonstravit Isaacus Casaubonus libello suo de Persiana Horatii imitatione, quamquam aequo ulterius progressus et bona pars locorum, quos ut ex Horatio imitatione expressos exhibet, ex ordine removenda est[14]). errores Casauboni et Mansonis[15]), qui argumenta quoque satirarum Persianarnm ex Horatio repetita esse probare studuit, refutavit Koenigius prooem. p. 25 et ib. p. 26 hanc tulit sententiam: ‚In rebus huiusmodi disiudicandis semper ante oculos habere debemus, fieri potuisse, ut scriptores eodem sermone usi et neque temporum neque locorum ratione a se longe diversi in eadem saepe inciderint, parique modo iisdem rebus adfecti easdem imagines, dictiones et verba adhibuerint, praesertim si ea eiusmodi sint, ut non recens cusa

---

14) Mirum quod Carauboni aciem nonnulli loci latuerunt, qui manifestam Horatii imitationem prae se ferunt. cf. IV, 5 dicenda tacendaque calles cum Hor. epp. I, 7, 82 dicenda tacenda locutus et IV, 5 ergo ubi commota fervet plebecula bile cum carmm. I, 13, 4 fervens difficili bile tumet iecur.

15) Nachträge zu Sulzer, vol. VI, p. 87.

sed consuetudine sermonis iam recepta et in medio posita fuisse videantur.'

Post Koenigium F. Passovius[16]) Volaterranum defendit et in locis quibusdam scite electis docere studuit Casaubonum nimis minutiarum studio pellectum in dumeta correpsisse et singula exsecutum esse eumque locutiones omnino Romanas dixisse Horatianas; porro poëtae non esse proverbia fingere quia nonnisi ab universo populo sancirentur, ita ei non licere rationes et locutiones, quae in omnium ore essent, ex arbitrio fingere et formare; aliter earum significationes irritas fieri. ergo si duo poëtae unius ideae mentionem facerent, non alterum eam ab altero repetiisse, sed utrumque ex uno fonte hausisse, e vitae consuetudine. eodem modo rem se habere in singulis verbis et locutionibus duorum poëtarum. quae Passovius splendidissime disputavit quamquam prorsus improbari nequeunt, tenendum tamen est Casaubonum acu tetigisse; nam summa sententiarum et vocabulorum, quae leguntur apud Persium similia Horationis maior est, quam quae ex communi linguae usi fluxerit. iam cum Passovius sentiat se opinionem suam non ab omni parte tueri posse, concedit p. 115 diligens Horatii studium singulis quibusdam verborem et sententiarum figuris prodi. esto, ut cuiusque posterioris poëtae sit, virtutes priorum in suum usum convertere, cum ea re saeculum magis quam natura et indoles poëtae significetur. sed si eo usque procedit, ut Persium non parva admiratione dignum esse contendat, quod urbanitatem sermonis Horatiani secutus elegantiam antecessoris aequiparet, ut vel metricam artem Persii perfectiorem quam Horatii dicat, in apertum errorem incidisse iudicandus est Passovius; elegantia enim et venustas Volaterrani qualis sit, mox infra apparebit, ubi Persium non contentum Horatium imitari id egisse videbimus, ut eum superaret, eumque cum sibi temperare non posset verba et sententias Horatiana saepissime venustate privasse docebimus. id prae ceteris sensit exemplisque inlustravit O. Jahnius prolegg. p. LIX sq.

Sed redeamus post brevem de Persiana Horatii imitatione

---

[16]) Ed. Pers. I, p. 109 sqq.

excursum ad Persii audaciam in translationibus. verumtamen omnia metaphorica, tropica, alia enumerare et accurate considerare cum longum est tum ad vitia poësis Persianae illustranda non omnia conferunt. nam nonnulla ex metarphoricis ita comparata sunt, ut Persio omnibusque aliis poëtis aequalibus communia sint, ut usu repetito multo minus insolita facta sint et vix metaphorica putentur, ut assolet tempore, de cuius usu loquendi Quintilianus IX. 3, 1: ‚Itaque, inquit, si antiquum sermonem nostro comparemus, paene iam quicquid loquimus figura est‘ cett. in iis numerare velim prol. 11 venter pro fames, I, 12 sapere pro naturam alicuius rei exhibere, II, 45 penates pro domus, II, 74 pectus et V, 22 praecordia pro animus, III, 6 coquere pro torrere, III, 16 timor albus pro timor, qui album reddit, III, 48 dexter pro faustus, IV, 6 bilis pro ira, V, 29 insulsus pro insipidus, V, 41 soles pro dies, V, 47 tempora pro sortes et fata, V, 164 sinister pro malus. de metaphoricis Persii in universum conferatur Piersonus in Museo Rhenano, nov. ser. XII, p. 88—98. nobis satis et e re esse videtur accuratius translationes plane Persianas considerare.

In adhibendis adiectivis Persium nimia audacia usum omnes omnium temporum poëtas superare hi loci docent. I, 33 (rancidulum quiddam balba de nare locutus) adiectivum balbus a lingua ad nares transfert, Horatium scilicet imitatus, cuius ‚balba ferire annoso verba palato‘ (satt. II, 3, 27) animo eius obversabatur. I, 72 (Palilia foeno fumosa) intellegitur nonnisi collato Varrone de ling. lat. V, 3: ‚Palilia tum privata quam publica sunt apud rusticos; ut congestis cum foeno stipulis ignem magnum transiliant, his Palilibus se expiari credentes‘. I, 76 venosus liber Atti i. e. deformis, asper I, 77 verrucosa Antiopa i. e. tuberosa, horrida, impolita et rudis. II, 5 (at bona pars procerum tacita libabit acerra) adiectivum tacita a tacitis sacrificantium votis translatum est ad acerram, qua sacrificantes fere utuntur[17]). II, 75 (incoctum generosum pectus honesto) adiectivum in-

[17]) O. Iahn.: ‚quia sacrificantes vota tacita mente concipiunt.‘

coctum positum est pro imbutum. III, 8 vitrea bilis. Horatii splendida (satt. II, 3, 141: iussit quod splendida bilis), quod aptissimum est, non satis aptum videbatur Persio, neque incidisset in epitheton hoc loco prorsus ineptum, nisi poëta quem imitatur Circen dixisset vitream (carmm. I, 17, 20). cf. interpp. ad l. l. Horatii. quod epitheton eligens Horatius non ita elegans prodidit iudicium; nam si propriam significationem tenemus, adiectivum vitreus dici potest nonnisi de re lucida ut vitrum est. adiectivum igitur apud Horatium etsi non ita elegans tamen non absurdum est, cum feminae iuvenali tribuatur. Horatio porro licuit bilem splendidam vocare, respectu habito speciei bilis nigrae in eo morbo, ex quo veteres insaniam ducere solebant[18]) unde apparet epitheton a Persio prorsus absurde positum esse. III, 52 mores curvi i. e. pravi, ad regulam non exacti. III, 92 pro lagena sitiens expectas lagena capax. IV, 6 (Anticyras melior sorbere meracas) adiectivum meracus ab helleboro translatum est ad locum, qui herbam illam abunde profert. IV, 40 nates dicuntur clixae, ‚gesotten', ubi aliud adiectivum, ut fluens expectas, quod nostrum ‚schlottrig' significet. IV, 48 in penem quicquid tibi venit amarum. huic loco apponere liceat epxlicationem Turnebi, quam exhibet Duebnerus in editione Persii Casauboniana: ‚ab impulsu voluptatis molesto, dolore scilicet, qui libidinosos urit nec quiescere sinit'. Heinrichius a. h. l. amarum, ut Graecorum πικρός, ex philosophorum dicendi usu translatum et adiectivo irritabilis explicandum putat. O. Iahnius denique in ed. mai. (Lips. 1843) coniecit amorum, ‚ex analogia Francogallici ‚faire l'amour'. V, 5 (quantas robusti carminis offas ingeris) robusti dicitur pro crassi vel rudis carminis. V, 19 sq.: bullatis ut mihi nugis pagina turgescat. et in lectione pullatis Iahnii in ed. mai. et in lectione bullatis Iahnii in ed. min. (ap. Weidmannos, Berol. 1868), Casauboni, Scaligeri, Pithoei insolita et audax inest translatio. O. Iahn: ‚Pullati enim sunt pulla veste induti, qua in luctu utebantur —; ita vestitum procedere eius tantum erat, qui gravissimum luctum

---

18) Cf. Krueger ad Hor. l. l.

ostendere volebat, et male ominatum habebatur. itaque ineptum et odiosum erat cum pulla incedere, ubi non decebat. — Quare nihil magis ineptum quam nugae quae pullam iactant. Ceterum quod translationem attinet, conferri potest illud apud Quintilianum (V, 10, 71): ‚Non possum praetextam sperare, cum exordium pullum videam.‘ sensus igitur totius loci est: nugas verbis sublimibus, quibus nonnisi tragoediarum scriptores utuntur, equidem scribere nolo. bullatae nugae explicare possumus cum Marcilio (v. Duebner. in Persio Casaubon. a. h. l.) ‚sufflatae nugae‘ et conferre cum Horatii a. p. 97: proicit ampullas et sesquipedalia verba. haec igitur sententia verbis inest: ne mihi verbis inanibus paginae completae sint. V, 25 picta lingua pro mendax lingua. V, 27 sinuoso in pectore i. e. in pectore multos recessus habente, ubi aliquid conditum possit latere. V, 62 nocturnis iuvat impallescere chartis idem est quod nocturno studio iuvat impallescere chartis. ad V, 75 steriles veri, quod scholl. interpretantur ‚ignari veritatis‘, O. Iahnius afferre potest nonnisi Vell. I, 18, 3: liberalium studiorum steriles et Tac. Hist. I, 3: virtutum sterile saeculum. V, 91 sanna dicitur rugosa, quamquam non sanna rugas exhibet, sed nasus qui illam efficit. V, 172 ambitio dicitur cretata, ‚quia candida veste utebantur, qui honores ambiebant, ea vero creta addita candorem accipiebat.‘ O. Iahnius a. h. l. V, 60 tunc crassos transisse dies lucemque palustrem. poëta intellegi vult dies in aëre crasso transactos. V, 179 aprici senes sunt senes qui apricationem amant vel qui apricari solent. ceterum flores ab Horatio, mergos a Vergilio appellari apricos testantur lexicographi. V, 184 recutita sabbata audacius pro sabbata Iudaeorum recutitorum VI, 28 vota surda. ‚Surdum enim id quoque vocatur quod non auditur, quia non clarum sonum reddit, unde de iis dicitur, quae obscura atque ignobilia sunt, et inutilia fere et non perfecta notat, quamquam vota surda audacius dicta sunt.‘ Iahnius a. h. l.

Post audaciam in usu adiectivorum reprehendenda est Persii audacia in usu substantivorum, quibus saepissime alia significatione utitur atque ceteri poëtae iis uti solent. I, 28 esca, proprie cibus qui aptus est ad alliciendos pisces,

universe dicitur de illecebris quibuslibet. I, 40 sq.: rides et nimis uncis — naribus indulges (uncis sc. ridendo). vocabulum nares hic positum est pro petulantia (Schadenfreude), quae in naribus potissimum, quippe corrugatis, videtur. hinc locutio Horatiana naribus uti. I, 103 sq. (si testiculi vena ulla paterni — viveret in nobis) testiculi paterni dictum est pro sanguinis paterni. II, 27 bidental. ‚Locus proprie fulmine tactus caesisque bidentibus expiatus; h. l. ad ipsum hominem translatum.' Koenig. V, 38 regula pro praecepta sapientiae. V, 65 viatica. ‚ut in itinere viatico, sic in vita praeceptis opus est.' Koenig. VI, 24 nec tenuem sollers turdarum nosse salivam pro saporem, ‚weil beim Appetit der Speichel im Munde zusammenläuft.' Pierson. l. l. p. 90.

Locutionibus quoque insolitis saepius audaciusque poëta utitur quam ut sermo elegans et perspicuus esse possit. I, 109 ne maiorum tibi forte limina frigescant infeliciter mitatur Hor. satt. II, 1, 61 sq.: (metuo) maiorum ne quis amicus frigore te feriat. I, 115 genuinum fregit in illis. hic versus omni elegantia vacuus superat Horatianum fragili quaerens illidere dentem (satt. II, 1, 77). I, 128 sq.: qui in crepidas Graiorum ludere gestit | sordidas. ‚Ludere, quod accusativo personae, quae videtur, iungi solet, insolentius hic praep. in habet adiectam, ubi res affertur, quae ioci materiam praebet.' O. Iahn. III, 27 pulmonem rumpere ventis dictum est pro simplici verbo inflari. III, 80 figentes lumine terram adeo insolenter dictum est, ut nonnisi una analogia afferri possit e Stat. silvv. V, 1, 140: domum torvo quam non haec lumine figat. maluerimus legere hoc nostro loco Ovidianum (metamm. XIII, 541) figentes lumina terra. audacius est etiam III, 81 murmurmura et silentia rodere, quod O. Iahnius ex eo explicandum esse dicit, ‚quod cogitationi acriter intenti labra movent et dentes collidunt, quo referendum labello porrecto, quia ii, qui tacitam mente cogitationem volvunt, labia protendere solent.'[19]) III, 91 (tertia compositas vidit nox) currere

[19]) De simili Vergilii audacia cf. Weidner ad Aen. II, 129.

venas unice dictum. similiter tamen Celsus III, 6 venas lentas celerioresve appellat, quo significari videtur, currere de venis dictum terminum technicum medicorum fuisse. cf. Weidner. ad Iuv. 6, 318, qui Ovidium mett. 10, 289 verbo saliendi de venis uti annotat. IV, 15 caudam iactare pro gloriari, ‚quod vel cum Casaubono a pavone vel ab equo desumptum videri potest, qui cum superbe incedit, caudam iactat.' Iahn. IV, 48 in penem quicquid tibi venit, quod alibi non legitur, formatum est ut locutiones quicquid in mentem venit, quicquid in buccam venit. VI, 50 donare aures pro praebere aures. V, 110 (iam nunc astringas, iam nunc granaria laxes?) poëta verba astringendi et laxandi a frenis ad granaria transtulit. VI, 39 sapere hoc maris expers, prorsus inepte dictum de philosophia Romana. prol. 14 cantare credas Pegaseium nectar tam audacter et insolite dictum, ut plerique veterum librariorum melos scribere praeferrent, quod lex metrica impedire debebat. omnino nihil mutandum est, Heinrichii[20]) quoque manare pro cantare improbandum. is enim locum Persianum originem ducere opinatus est ex Hor. epp. I, 19, 44 sq.: fidis enim manare poëtica mella te solum. obscuritate et insolita audacia ceteris excellit IV, 49 si puteal multa cautus vibice flagellas, de qua interpretum cruce Koenigius desperatus: ‚Hoc, inquit, satis de loco, cuius sententiam et vim fortasse nemo extricabit.' haud scio an locus explicandus sit secundum O. Iahnium: multis vibicis verberibus caesus i. e. multis causis perditis cautus factus fructum capere studes puteal flagellans, i. e. fructum capere studes ex causis, quas prudentius, cautius agis.

c. Restat ut breviter disseramus de doctis verbis et sententiis, quae interdum loco alienissimo leguntur itaque obscuritatem versibus afferunt. mythologica, quae nonnisi in prologo reperiuntur, — quamobrem quidam critici eum suppositicium habent — omittimus, cum ea cum arte poëtica artissime cohaereant et a quovis docto intellegantur. I, 109 sq.: sonat hic de nare canina | littera. fuit Romanis mos canes ante domos

[20]) Vorlesungen über Persius p. 72.

habere (interdum etiam in effigie, cui inscriptum erat: cave canem! cf. Iahn. a. h. l.), quibus homines alieni ab introitu arcerentur. tali homine in domum introituro, canes antiqui ut nostri murmurare (hirrire, *ἀραρίζειν*) solebant, prae ceteris r litteram edentes. hinc littera illa c a n i n a dicitur Persio, ut Casin. prol. v. 34. Plauto n o m e n l a t r a n s tribuitur, cui nuntio sensus inest, si cum Gepperto Plauto praenomen M a r c o inditum fuisse tenemus. ceterum Persio hunc versum scribenti Lucilianum obversatum esse non prorsus alienum dixerim. est ille Lucilii versus hic; ‚irritata canis quod r quam plurime dicat.‘ doctius aliquantulo est III, 56 sq.:

et tibi quae Samios diduxit litterae ramos
surgentem dextro monstravit limite callem.

poëta dicere vult: (et Stoicorum et) Pythagorae doctrinam novisti. ad eam significandam poëta alludit viae iam ab Hesiodo (opp. 285 sqq.) aliisque commemoratae, quae, quamvis ardua et angusta, ad virtutem ducit, via contra ad vitium ferens larga et commoda est. quam imaginem ut illustrarent Pythagorei littera Y uti solebant. Serv. ad Verg. Aen. VI, 136: ‚Novimus, inquit, Pythagoram Samium vitam humanam divisisse in modum Y litterae; scilicet quod prima aetas incerta sit, quippe quae adhuc se nec vitiis nec virtutibus dedit. bivium autem Y litterae a iuventute incipere, quo tempore homines aut vitia i. e. partem sinistram, aut virtutes i. e. dextram partem sequuntur.‘ iam si, monente Iahnio a. h. l., illius litterae antiqua formae reminiscimur, totius imaginis sententia apertissima est. ‚Diese Curiosität verwendet Persius . . . zur Bezeichnung der ganzen Philosophie, mit welcher diese Aeusserlichkeit doch im Grunde wenig zu schaffen hat.‘ Teuffel. annot. ad vers. Germ. p. 141. minus doctrinae exhibent IV, 13:

et potis es nigrum voto praefigere theta

et V, 17 sq.: hinc trahe quae dicis, mensasque relinque Mycenis,
cum capite et pedibus —.

de acervo Chrysippi (VI, 80) cf. Paulyii real. encycl. II, p. 347—350. loco Persiano, quo sorites memoratur, haec sen-

tentia inest: ut nemo dicere potest, quantus numerus granorum acervum efficiat, sic neque avarus, quantum sibi satis sit.

d. Obscuritas satirarum Persianarum valde augetur propria quadam arte dialogi. is enim nullum illarum virtutum vestigium exhibet, quas in Horatio admiramur: nam is quippe expertissimus rem, quam est docturus, ab omni parte novit, sine ullo igitur labore rem eo modo tractat, quo tractetur oportet. iam si poëta e re esse putat dialogo uti, eo facete utitur ab initio ad finem usque neque unquam, saepe de recta via decedens et aliena, ut videtur, immiscens, finem, ad quem rem perducere ei propositum est, praetermittit. Persius contra, cui forma multo minus curae est quam res, dialogum statim omittit, ubi difficultatem afferre coepit. huc accedit, quod saepe dialogum non certae personae agunt. unde fit, ut interdum secerni nequeat, quae verba huic, quae illi tribuenda sint. in impeditissimis locis satirae primae initium numerandum est, quod optime mea sententia incidimus et interpretamur cum Casaubono, quem Koenigius et Heinrichius secuti sunt. nonnullis locis poëta ipse significat personas, quas loquentes facit, non esse certis finibus circumscriptas, ut I, 44 quisquis es, o modo quem ex adverso dicere feci et IV, 1 sq. barbatum hoc crede magistrum | dicere. interdum pro singulis hominibus hominum genera dicit, ut I, 61 vos, o patricius sanguis, quos cett. et V, 189 dixerit haec inter varicosos centuriones. interdum etiam accidit, ut legens subito incidat contra dictis, quae a quonam oriunda sint nescit. saepius etiam ignorat ubi talia initium sumant, ubi desinant (sic VI, 74 Iahnius dialogum desinere putat, Teuffelius negat), utrum poëta an interlocutor dicat. cf. I, 56; III, 3, 8, 19, 58; VI, 38 sqq. de adnominatione (παρονομασία) Cornif. IV, 32: ‚si raro, inquit, interserimus has exornationes commode inlustrabimus orationem, frequenter his exornationibus conlocatis tollitur auctoritas.‘ Weidner. ad Iuv. 6, 347. quod vitium etiam gravius fit eo, quod poëta sententiam interlocutoris continuat tanquam si eius sententias defendere vult. id quanquam interdum ironice fit, nusquam tamen fit, quin obscuritas orationis augeatur. omnino autem, ut recte monuit Koenigius prooem. p. 19 sq. ironia

Persius minime feliciter utitur. nam magis eius est, qui, ut Horatius, ridens verum dicit hominumque vitia facete ludit.

II.

Quamvis autem Persius orationis vim augeat novisque locutionibus et insolitis translationibus studeat, aliud satirarum vitium dissimulare non potest, tenuitatem sententiarum et imaginum. I, 7, 31, 86; IV, 10 sp.; V, 47, 100 sq. libram in imaginibus adhibet. V, 1, 2, 6, 26 centum voces, ora, linguae, guttura memorantur. I, 92 sqq. sententiam, quam iam vv. 64 sqq. exhibuerat, iterat. III, 23 sq. et 63 sq., V, 24 sq. et 105 sq. in diversis imaginibus eadem inest sententia. morborum animi cum corporis comparatio repetitur III, 63 sqq., 88 sqq., 107 sqq.

III.

Transeamus nunc ad aliud satirarum Persianarum vitium, parvum singularum partium inter se connexum. huius rei causa inest tum in imbecillitate ingenii poëtae, tum in eo quod omnibus illius aetatis scriptoribus sensus harmoniae et compositionis et dictionis deest. qui defectus harmoniae apud Persium cernitur cum in aliis tum in sermone usque commoto et magniloquo. Persius sententias chartae mandans et in singulis elaborandis quamvis magnam operam navans, id minime egit, ut eas logice connecteret cum praecedentibus vel sequentibus. quo factum est, ut multa apud Persium *ἀφοριστικῶς* dicta inveniantur. quomodo, quaeso, I, 63 sqq. cum praecedentibus cohaerent? patet eos referendos esse ad vv. 13 sqq.: scribimus . . . grande aliquid, quo pulmo animae praelargus anhelet cett. longam sententiarum seriem interesse miramur. II, 31 sqq. a praecedentibus ita seiuncti sunt, ut vel vestigium transitus desit. III, 107 sqq. poëta docere studet affectus quoque morbos esse. id probare studens ea, quae iam v. 88 dixerat, inepte iterat nec connectit hos versus cum vv. 88—106. W. E. Weberus quidem Persium non secundum logicae regulas scribentem vere poëtice egisse censet; nos id ipsum vitium poësis Persianae habemus, praesertim cum Romanorum satira artissime cohaereat cum didactica nec di-

dactica logicis rationibus carere possit. sed non modo singulae satirarum partes inter se connexum non habent, exordia quoque satirarum aut omnino non aut paullum cum argumento cohaerent. saepe poëta amicum, quem ab initio adlocutus est, postea non respicit. satira secunda Plotio Macrino inscripta est. diem natalem amico Persius ea gratulatus pergit: ,die natali quoque ,Macrine, deos rogas nonnisi ea, quae recta sunt. non ita alii.' tali fere modo poëta transit ad disserendum, homines scelerate modo, modo stulte cum diis agere, maxime in votis et sacris. satirae quintae multos versus praemisit poëta, quibus pium erga Cornutum magistrum animum testatur. nihilo setius omnes illi versus prorsus supervacanei videntur iudicandi, nam cum satirae argumento laxe cohaerent. est enim illius satirae argumentum Stoicorum paradoxon, solum sapientem liberum esse (*ὅτι μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερος*). Cornutum philosophiam Stoicam docentem illud quoque tractasse verisimillimum est. exordium igitur satirae eiusque argumentum non ita arte cohaerent. non magis quam secundae, multo minus quam quintae argumentum sextae satirae cohaeret cum adlocutione ad Caesium Bassum, poëtam et Persii amicum, cui inscripta est. Persius cum ab hiemis iniquitatibus Lunam, in oppidum Etruriae caeli temperie clarum, se recepisset, per epistulam ex Basso quaerit, num in Sabino litteris et poësi se daret. se ipsum curis non sollicitum vivere, alios contra sua sorte non contentos invidia uri et vexari. iam sequitur dissertatio de usu earum rerum, quibus opus sit ad vivendum. in earum usu naturam ducem sequendum esse neve ex alio vitio in aliud incidendum, ut ex avaritia in luxuriam. quae quomodo ad Bassum pertineant minime liquet.

IV.

Iure etiam in Persio reprehensum est satiras eius non in vituperandis aequalium vitiis versari, recteque Teuffelius Persium satiram Romanam minus satiricam reddidisse dixit. Lucilius libere iudicavit de publicis rebus, de consuetudine, de litteris, Horatius a iudicio de publibis rebus abstinuit. cf. Bernhardyi Grundr. der Röm. Litt. p. 637 ed. V. Persius tria

illa simul neglexit; tractat enim una quaque ultimarum quinque satirarum praecepta Stoica, quae ad mores qertinent, et moroso illo ac severo austeroque Stoicorum dicendi genere usus supremae legis, quae in satiram valet, obliviscitur: sui ipsius temporis vitia non pungit. perversae hominum actiones, quas Persius notat, tantum abfuit, ut eius aetati, ut ne uni quidem tempori propriae essent. quae vitia reprehendit, ea omnium temporum, omnium populorum, cuiusvis aetatis, generis, ordinis hominibus communia sunt. non igitur mirum, quod hominibus maximam partem typicis, si verbo uti licet, poëta inludit.

Priusquam autem transeamus ad nomina typica enumeranda, quorundam criticorum sententias falsas brevibus verbis refelli oportet, qui in eo errasse videntur, quod nominibus typicis nonnullis poëtae aequales subesse putant. ita nullo modo fieri potuisse credentes, quin Nero, pestis generis humani, a satirico vellicaretur, satira quarta Neronem notari nituntur. sed ne Casaubonum quidem, huius sententiae vindicem, satiram recte intellexisse existimo. eum opinione falsum esse satis docet v. 23 ut nemo in sese tentat descendere, nemo —, qui versus Neronis respectu non habito omnino significat cognitionem sui rarissime inveniri, omnes homines aliorum res curare malle quam suas. ad eam sententiam inlustrandam poëta iuvenem dicentem facit, qui ad rem publicam accessurus nondum satis maturus est, suis viribus usus res gerere. iam cum Persius grammaticorum institutione brevi ante relicta loci cuiusdam Pseudo-Platonici, qui legitur in dialogo, cui Alcibiades secundus inscriptum est, meminisset, e re esse arbitratus satiram a scena vere dramatica incipere, locum illum Platoni subditum paucis mutatis transposuit. statuamus deinde satira certum hominem notari et significari Neronem nomine Alcibiadis, quemnam — ita enim cum G. E. Webero p. 228 quaeri potest — poëta Socratis nomine significat? sese ipsum, edepol, minime. si imitatio imaginis alienae, ut hic Graecae, apparet, plane absurdum est de satira, quae certum hominem pungat, cogitare. immo totius satirae quartae exempla Persius eo consilio contulit, ut Socraticum illud γνῶθι σαυτόν inlustraret, non ut

Neronem aliumve secaret. ironiam et exempla adhibens poëta loco illo Pseudo-Platonico feliciter usus est, etsi colorem Atticum non toti tabulae ingessit. Alcibiadem enim cives Athenienses adloquentem facit quirites, quod vocabulum civium Romanorum est.

Eodem plane modo res se habet V, 162 sqq., ubi Lehmannus[21]) Chaerestratum dictum, Neronem notatum esse arbitratur. totam rem, quae agitur inter Davum et Chaerestratum, Iahnius comm. p. 206 scholiis a. h. l. monentibus ex Eunucho Menandri vel potius Terentii demptam esse recte annotavit, id quod vel verborum concentu significatur nec Lehmannum fefellit. Horatius satt. II, 3, 259 similem scenam exhibet. non igitur mirum, quod ex duabus illis scenis Persius tertiam contaminavit, paucis additis. quivis doctus utrumque locum legerat, sed ne unum quidem tantum a vero aberrasse existimo, ut non Chaerestratum, sed Neronem notari putaret.

Iam accedamus ad lustranda hominum nomina, quae apud Persium leguntur. poëtam placita Stoicorum satiris suis eodem fere modo tractare quo philosophi, qui vitae communis rationem habentes tum ex ea tum ex historia exempla sumebant ad praecepta inlustranda, iam supra monuimus. hausit autem Persius exempla, quibus utitur, non ex vitae consuetudine, sed satis habuit, nomina adhibere, quae Stoici iam adhibuerant, quae typica facta erant. quaedam apud Lucilium et Horatium nomina illis adnumeranda esse probabile est, aliis a satirícis illis hoc sensu adhibitis postea pro typicis usos esse posteriores satiricos constat. unde fit, ut Persii nomina non certos certorum temporum homines significent, sed aut ex arbitrio electa, ut Tadii VI, 66, aut typica sint i. e. hominum genera notent, aut denique mortuorum sint, ut Caligulae et Caesoniae VI, 43 sqq. quaedam tamen nomina sunt, quibus poëta viventes vellicat, quorum reprehensio ipsi nocere non potuit. alia denique hominum nomina Persius affert non satirice ludens ut V, 90 Masurii iurisconsulti, V, 126 Crispini.

Typicis nominibus satirae Persianae abundant. II, 26 Ergenna omnino dicitur homo e genere haruspicum Etruscorum.

---

21) De A. Persii satira V. Gryphiswald. 1855.

II, 36 Licinus et Crassus homines ditissimos significant. III, 65 Craterus medicum (cf. Hor. satt. II, 3, 161), III, 31 Natta hominem ex infima plebe (cf. Hor. satt. I, 6, 124), IV, 25 Vettidius et IV, 37 Bestius (ex Hor. epp. I, 15, 37 novimus eum ut avarum et severum morum censorem) avarum, IV, 26 Baucis vetulam, V, 85 Brutus tyrannorum expulsorem vel percussorem, V, 74, 79 Publius et Marcus Dama libertos, V, 123 Bathyllus saltatorem, V, 190 Vulfennius hominem stultum et arrogantem significant. Davi nomen (161, 168) debetur Horatio (satt. II, 3, 259 sqq.). de Nerio, cuius Persius II, 14 mentionem facit, cf. Heindorf. ad Hor. satt. II, 3, 69. II, 19 Staius dictus est pro homine improbo. teste G. E. Webero p. 245 fuit iuratus, qui in causa Cluentii, cuius rem Cicero egit, pecunia corruptus famosus factus erat. Teuffelius contra annot. ad vers. Germ. p. 129: ‚Stajus, inquit, der beim Anhören solcher ruchlosen Wünsche mit Abscheu sich abwendet und zu den Göttern schreit, kann nicht selbst ein ruchloser Mensch sein, und was die meisten Ausleger über ihn fabeln, ist daher unrichtig. Und so gut Stajus in seiner Indignation zu Jupiter schreit, eben so sehr und eben so gewiss muss Jupiter zu Jupiter, also zu sich selbst schreien, sich gleichsam um Hülfe rufen, wenn er solche Verworfenheit vernimmt.‘ at toti loco haec sententia inest: si vel Staius i. e. si homo nequissimus talium votorum improbitatem perhorrescens Iovem appellat, quid Iuppiter faciet, deorum optimus et maximus?

Nomina hominum Persio aequalium — unus ex iis, Messala, fortasse paullo ante Persium vixit — haec sunt: Messalae lippa propago II, 72 (cf. Iahn. a. h. l.), Glyco VI, 2, Callirroe, testibus scholiis scortum tunc temporis famosum. hi homines quamvis nequissimi minime tamen digni erant, qui flagello satirico caederentur. recte Teuffelius introd. p. 36 sq.: ‚da gab es ganz andere Schurken zu brandmarken, ganz andere Schändlichkeiten an den Pranger zu stellen.‘ quod attinet ad V, 4 in Iahnii sententiam abire non possumus: is enim Corbulonis victoria adulationem erga Neronem procreatam notari putat. at equidem existimo hanc illum locum vim habere: poëtae nunquam sibi satisfacere possunt, sive agatur ut tragoediam scribant sive ut versu heroico res gestas cantent.

Parthi igitur vulnera poëtice dicta sunt pro vulneribus, quae quolibet bello accipiuntur.

Loci, quos modo tractavimus, ii sunt, quibus poëtam aequales spectasse constat, et quamquam a ratione non prorsus abhorret, unum alterumve nominum, quae typicis adnumerarius, eiusmodi hominum esse, certis tamen argumentis probari non potest. vana igitur opinio criticorum, qui aliis quoque locis poëtae aequales, maxime aulicos, reprehendi rati sunt. id quod cadit in Lehmannum, virum acutissimum, qui compluribus commentationibus Neronem eiusque amicos saepius a poëta vellicari, quam interpretes, quippe ignari reconditioris illius temporis historiae, crederent, demonstrare studuit[22]. virum doctissimum de Chaerestrato (V, 162 sqq.) errasse iam supra docuisse mihi videor. transeamus nunc ad v. 126 satirae quintae. Crispinum eo loco nominatum et Rufium Crispinum equitem, quem primum Sabinae Poppaeae, post ea Neroni nubentis, maritum fuisse novimus, unum eundemque hominem esse Lehmannus opinatur, et subiectum, quod v. 127 latet in verbo increpuit, eius iudicio eadem illa Sabina est (cf. de A. Pers. sat. V. p. 13). at verbis satirici ipsis nihil inest, quo de iis hominibus cogitare cogamur. alio quoque loco (V, 179 sqq.) Sabinam Poppaeam ob religionum et rituum Iudaicorum amorem Lehmannus notari dicit (cf. l. l. p. 36 sqq.) atque Neronem quoque, ab illis caerimoniis non alienum, a poëta in componenda satira spectatum esse contendit (cf. l. l. p. 30). sed ne hoc quidem loco nos de iis cogitare oportet. nonne omnes Romani tunc temporis propensissimi erant ad religiones exterarum gentium? num satira tum demum recte intellegitur, si ea Neronem et Sabinam Poppaeam notatos esse credimus? II, 88 sqq. denique Lehmannus (Philol. VI p. 439) de Nerone dictos arbitratur, fatetur autem, se nondum perspectum habere, quomodo verba Nerio iam tertia conditur uxor de Nerone dici potuerint. Nerii nomen Horatio deberi iam supra monuimus.

---

22) Philol. IV, p. 341 sqq. de A. Persii satira V. Gryphiswald. 1855. 4°. Zeitsch. f. d. Alt. Wiss. 1852. 3. no. 25. haec commentatio nobis prae manibus non fuit.

Prima satira seorsum spectetur oportet. nam ceteris opposita est et cum Heinrichio programma quod dicitur haberi potest (‚ein vorläufiges Glaubensbekenntniss des Dichters beim Antritt seiner schriftstellerischen Laufbahn‘), quamquam satirae sequentes nusquam fere primam respiciunt. prae ceteris prima satira nomìne satirae digna est, cum ea sola vitium aetatis, quae tum erat, reprehendat. num vero Persius prudenter egerit statum litterarum Romanarum satiris tractans affirmari non potest, cum malum doctorum iudicium vituperaret et totam illam et immensam morum depravationem aequo par vituperare neglegeret. iam ut videamus, quantum satira prima de statu litterario aetatis Persianae agat, nomina poëtarum, quae affert, lustremus. de Labeone (v. 4.) et Attio (v. 50) nusquam quicquam legitur nisi in scholiis, quibus auctoribus duo illa nomina unius poëtae sunt. scholl. Pers. I, 50 (p. 248 ed. Iahn.): ‚Labeo transtulit Iliada et Odysseam verbum ex verbo, ridicule satis, quod verba potius quam sensum secutus sit. eius est ille versus: crudum manduces Priamum Priamique pisinnos.‘ quibus Theodorus Bergkius adductus est, ut Attium hoc loco notatum auctorem carminis habeat, quod Pindari Thebani nomine fertur. v. 85 Pedius nominatur. Pedius Blaesus, qui anno a. u. c. 813 (p. Chr. 60) repetundarum reus damnatus et senatu motus est, significari videtur; fortasse contra nomen ex Horatio (satt. I, 10, 28) sumptum est, quod mihi quidem non ita probabile videtur, ex quadam tamen utriusque loci similitudine colligi potest.

Cum prima Persii satirarum sola sit, quae vitia aetatis, quae tunc erat, reprehendat, vera satira dici potest. cum ea re, tum eo a ceteris satiris differt, quod verisimillimum est Neronem imperatorem ea notatum esse. iam diu opinionem vulgatam fuisse nonnullis poëtae locis Neronem pungi tum ex scholiis tum ex antiqua vita elucet, in qua haec leguntur: ‚sed mox ut a schola magistrisque divertit, lecto libro Lucilii decimo vehementer satiras componere instituit, cuius libri initium imitatus est, sibi primo, mox omnibus detracturus cum tanta recentium poëtarum et oratorum insectatione, ut etiam Neronem, principem illius temporis culpaverit.‘ iam demon-

strare conabor Persii prima satira Neronem notari. Neronem poësi studuisse satis constat (cf. Passov. l. l. p. 380. Iahn. prolegg. p. LXXV sqq.). carmina eius variis poësis generibus attribuebantur; alia enim lasciva et ludicra, alia probrosa i. e. satirica, alia denique tragici argumenti erant. Dio Cassius LXI, 20: ἐκιθαρῴδησέ τε Ἄττιν τινὰ ἢ Βάκχας ὁ Αὔγουστος. testibus Tacito (ann. XV, 39), Suetonio (Ner. 38), Dione Cassio (LXII, 18) inter incendium Romae ad modum citharoedi vestitus ἅλωσιν Ἰλίου cantavit[23]). locos, quos modo attuli, referendos esse ad poëmata a Nerone ipso composita publiceque recitata docet Dio Cassius LXXII, 29: ὁ δὲ Νέρων ἐπὶ τὴν θεάτρου ὀρχήστραν ἐν πανδήμῳ τινὶ θέᾳ κατέβη καὶ ἀνέγνω Τρωϊκά τινα ἑαυτοῦ ποιήματα[24]). Neronis carminum omnino manserunt quatuor hexametri et dimidium quinti, qui eandem naturam exhibent, quam Persii versus 99—102 satirae primae, quos versus scholl. Neroni auctori tribuunt. Persius ipse v. 105: ‚in udo, inquit, est Maenas et Attis'. constat igitur Neronem carmina ab ipso composita publice recitasse et uni ex carminibus ab eo recitatis inscriptum fuisse Ἄττις ἢ Βάκχαι. quid igitur verisimilius quam id quoque carmen ab eo compositum idque unum idemque esse cum eo, quod a Persio v. 105 memoratur? huic ipsi denique carmini versus 99—102 primae Persii satirae tribuendi videntur, praesertim cum v. 101 de Bassaride et Maenade agat. huc accedit quod versus 106 (nec pluteum caedit, nec demorsos sapit ungues), qui poëtam sesquipedalia verba sine ullo labore edentem notat, optime quadrat in Neronem, de quo Suetonius Ner. 52: ‚ad poëticam, inquit, pronus carmina libenter ac sine labore composuit.'

---

23) O. Iahnii sententia, quam prolegg. p. LXXVII profert: ‚diversum autem sine dubio fuit carmen epicum, quod sub titulo Troicon composuit' argumentis certe probari non potest. praestat ἅλωσιν Ἰλίου, quam ipso tempore flagrantis urbis cantasse dicitur, partem habere maioris carminis, cui Troicon inscriptum erat. ad quam sententiam Teuffelium (Gesch. d. Röm. Litt. § 270, 7) inclinare video.

24) Neronis Troicon mentio fit etiam scholl. Pers. I, 121: ‚scripsit enim Nero Troicon' et Iuv. 8, 220 sq.: ‚in scena nunquam cantavit Orestes, Troica non scripsit' (antea de Nerone dictum erat).

Quibus disputatis satis apparet, excepta satira prima, apud Persium hominum nomina aut typica esse, aut homines, quos poëta notat, eo quo scripsit tempore non iam in vivis fuisse, aut tam humilis conditionis vel tales fuisse, ut commemoratione vix digni videantur iudicibus, ut Teuffelio. Neronem denique a poëta notatum esse verisimillimum quidem nec tamen ab omni parte certum est. Horatii igitur Luciliique satiras respicientem Persianas vitio gravissimo laborare non fugiet: non pungit sui temporis homines eorumque vitia. quanquam manserunt quaedam mortuorum nuper et vel viventium notae. quod ex eo explicandum videtur, quod satirico cum scripsit nondum satis constabat, utrum typicis nominibus uteretur necne, tum ex eo, quod statim ad versus pangendos aggrediens odium moventia cohibuit nec vero prorsus delevit. antecessor igitur quodammodo Persius Iuvenalis iudicandus est, qui in omnibus satiris Domitiani coaequales induxit, quo effecit, ut et tempora moresque notaret brevi ante vigentia et sine succo et sanguine poësim vitaret, qualis fere est ea, quae typicis nominibus utitur. quod vitium poësis Persianae aliquo certe modo excusari potest. nam Neronis tempore poëtae omnino non licuit more Luciliano scribere, quem primores populi arripuisse populumque tributim, ut ait Horatius satt. II, 1, 69, fragmenta testantur. et directis nominibus eum quosdam carmine prostituisse Apul. apol. 10 perhibet. nimirum poëtae imperatoribus aequali non eodem modo quo Lucilio, adhuc libera republica scribenti, transitus a poësi iambica ad satiricam licuit. huc accedit, quod, recte monente C. L. Rothio[25]), Persius utpote Stoicus aliter sensit de malo quam prisci Romani. hi enim id potissimum egerunt, ut morem maiorum a novatoribus defenderent, ille, ut malum ipsum impugnaret. Persium eo liberalitatis processurum fuisse, ut odium imperatoris parvi duceret, haud verisimile videtur, cum Paetus Thrasea et Cornutus, quos plurimum valuisse in poëtam constat, ita cogitarent, ut quodvis sacrificium inutile existimarent, ex quo non aliquid commodi rei publicae redundaret. iam cum nihil aliud Persio restaret, quam ut aut satiras om-

---

[25]) Zur Theorie und innern Geschichte der römischen Satire. p. 21, 30, 40.

nino non scriberet aut a satira Luciliana et vel Horatiana excederet, satius habuit novo quodam modo satiras scribere, ut delatores fugeret: nam multa erant, quae satira digna viderentur, idque poësis genus acerbum et severum illo tempore aeque ac prius e re erat. nomina igitur typica adhibens praesentis aetatis vitia vituperare studuit, Iuvenalis contra, felicior aliquanto, modo praeteritum describens praesens tempus notavit.

V.

Sed concessis etiam poëtae nominibus typicis, ne tum quidem praestitisse tibi videbitur, quod expectasti. satirae Persianae, iterum excepta prima, non sunt poëmata, sed commentationes de praeceptis quibusdam Stoicis, in quibus poëta multo minus curavit, ut vitam recte describeret, quam ut Stoicorum doctrinam ulterius propagaret. quod optime videtur in argumentis singularum satirarum. secunda enim satira agit de precibus impiis et stultis, de caeremoniis superstitiosis: commendat poëta, deos naturae convenientia orare, denique diis non sacra pretiosa, sed animum pium placere dicit. satira tertia exponit poëta libertatem animi affectibus impediri, quos ad coercendos rerum hominumque cognitionem plurimum iuvare eamque philosophiae studio parari. quam ob rem Teuffelius[26]) satiram tertiam *λόγον προτρεπτικὸν πρὸς φιλοσοφίαν* appellat. tertiae argumentum excipiens Persius satira quarta Socratis illud *γνῶθι σαυτόν*, quinta Stoicorum paradoxon, solum sapientem liberum esse, tractat, sexta denique de iusto divitiarum usu disputat. quae praecepta non ita idonea sunt, ut poëtice tractentur; minime tamen dubito, quin poëta, cui nascenti Musae adrisissent, ea multo melius tractasset quam Volaterranus. ubique eum brevi ante e schola egressum vitaeque prorsus imperitum cognoscimus. non igitur mirum, quod Persius interdum meras ineptias profert, ut VI, 25 sq., quos versus iam Teuffelius notavit:

messe tenus propria vive et granaria, fas est
emole; quid metuis? occa, et seges altera in herba est.

---

26) Annott. ad vers. Germ. p. 133.

Omnium illorum, quae modo reprehendimus vitiorum, causam iam supra Persii ingenium a poësi prorsus alienum significavimus. quod eo probatur, quod non animi impetu ad poësim aggressus est, sed externa causa commotus. testatur vita: ‚sed mox ut a schola magistrisque divertit lecto libro Lucilii decimo vehementer satiras componere instituit, cuius libri initium imitatus est, sibi primo, mox omnibus detracturus cum tanta recentium poëtarum et oratorum insectatione, ut etiam Neronem, principem illius temporis, culpaverit.‘ ulterius autem progredi et cum scholl. III, 2 putare satiram tertiam translatam esse ex Lucilii libro quarto, quo divitum luxuriam et vitia castigavit, in errorem nos induceret; immo satiris Persianis communes erant nonnisi locutiones singulae a Persio ex Lucilio translatae. cf. quae supra de I, 109 sq. disputavimus.

P. 5 v. 25 lege maxime, p. 6 v. 2 doctrinam, p. 7 v. 24 albas, p. 8 v. 10 defixos, p. 13 not. 14 v. 1 Casauboni, p. 14 v. 18 Horatianis, ib. v. 19 usu, ib. v. 22 verborum.